

QUO ANNO PLINIUS PANEGLYRICUM PUBLICAUERIT QUAERITUR

Plinii epistulae III 13 et 18 de Panegyrico disserunt, quarum in altera scriptor librum, quo nuper optimo principi consul gratias egit, Uoconio Romano ad corrigendum mittit, in altera Uibio Seuero¹ de Panegyrici recitatione nuntiat. Mommsen orationem, quamquam Kalendis Septembribus a. 100 in senatu habitam, anno tamen posteriore publicatam esse affirmat, cum Panegyrici cap. XVI et sequentia, ubi triumphus futurus nuntiatur, certe non ante bellum Dacicum a. 101 incepsum scripta sint². Allain ratione, quam Plinius in libris edendis obseruauerat, ex ep. VII 17 perquisita, Panegyricum a. 103 editum esse censuit³.

Durry in maiore Panegyrici editione quaestionem accuratissime perscrutatur⁴. Primum illud "nuper" in ep. III 13 nullum argumentum esse recte monstrat, cum dissimulanter dictum esse possit⁵, similiter atque in Pan. 56, 2 "needum de biennio (scilicet regni Traiani) loquor" ad probandam orationem a. 100 habitam esse fictum. Fieri igitur potuit ut Panegyricus a. 103 publicaretur. Atque eo magis id credimus, quod in libro multae res post annum 100 gestae significantur et obscure significantur, ut oratio a. 100 habita codem anno scripta esse uideatur. Durry Mommsenum, uirum doctissimum, ita argumentatum esse ostendit: "epistulas III 13 et 18 sine dubio (?) a. 101 scriptas esse, nam Panegyricum certissime (!) eodem anno editum esse; omnes igitur tertii libri epistulas a. 101 exaratas esse". Chronologiam tamen mommsenianam a multis uiris doctis carptam et reiectam esse atque multas epistulas in libro tertio diuersis annis datas inueniri. Quare argumenta in Panegyrico ipso inquirenda esse.

1) Panegyrici uerbis "rogant, supplicant" (12, 2) uarias legationes, quae Traianum aut senatum in primo bello Dacico aut post bellum anno 102 exeunte adierint, commemoratas esse, sed hanc interpretationem possibilem esse, non certam⁶.

¹ Nescio cur DURRY in maiore *Panegyrici* editione, p. 71 (Parisiis, 1938) Uibium Seuerum eundem esse putet ac Uibium, cuius eloquentia a STATIO (*Silius*, 4 praef.; 4,7) laudatur. At Uibius a Statio laudatus C. Uibius Maximus est, cui Plinius alias epistolas (III 2 et IX 1) misit: cf. DESSAU, *Prosopographia imperii Romani*, vol. III 423 nr. 389 et COROI, *Caius Uibus Maximus, praefectus Alexandriae et Argypiti*, in *Atti del Congresso intern. di diritto romano*, Bononiae et Romae, vol. I, p. 515. Hoc loco in omnibus codd. "Seuerus" legitur.

² *Etude sur Pline le Jeune*, p. 11 (Parisiis, 1873).

³ *Pline le Jeune et ses héritiers*, vol. II 619 sq. CARCOPINO (*Points de vue sur l'impérialisme romain*, p. 75-6, Parisiis, 1934) eundem annum proponit.

⁴ P. 9 sq.

⁵ Mihi quidem illud "nuper" omnino usquam significationem habere uidetur; cf. ep. V 20: "Iterum Bithyni; breue tempus a Iulio Basso et Rufum Uarenum proconsulem detulerunt, Uarenum, quem *nuper* aduersus Bassum aduocatum et postularant et acceperant". At illud "nuper", ut in thesi mea (*De Plinii epistularum nouem libris quaestiones chronologicae*, Louanii, 1949, ad ep. IV 9 et V 20) demonstraui, spatium biennii aut triennii significat.

⁶ Nunc bellum Dacicum primum anno 102 finitum esse scimus, cum triumphale agnomen "Dacici" in nummis Decembri a. 102 cisis inscriptum legamus. Uide STRACK, *Untersuchungen zur römischen Reichsprägung des zweiten Jahrhunderts*, Teil I: *Die Reichsprägung zur Zeit des Trajan*, 24 et 109 Stuttgart, 1931.

2) Nec uerba "fide reclusit uias, portus patefecit, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit diuersasque gentes ita commercio miscuit, ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum uideretur" (29, 2) argumentum ad tempus statuendum esse, cum portus locus communis sit⁷ et uiae a Plinio memoratae forsitan iam ante annum 102 stratae sint.

3) Optimi titulum nullo arguento obstante ante mensem Septembrem a. 100 decretum esse⁸.

4) Uerbis "dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem cernere in publico, in populo sedentem, populo, cui locorum quinque milia adieciisti"⁹ amplificationem circi Maximi relatam esse. Illud autem factum in nummo anno 103 cuso¹⁰ et in titulo quodam eiusdem anni memoratum esse¹¹. Durry tamen opera iam perfecta in nummis celebrari solere ostendit atque illam amplificationem probabiliter iam anno 100 inceptam, sed nondum perfectam ex eo conicit, quod Plinius multis futuris illo loco usus est.

5) Solum igitur triumphum manere. Cap. 16, 3-17 certe postea addita esse, cum moderationis laudatione subito abrupta Plinius uictoriā triumphumque uaticinetur. Uerba de belli initio anno 101 ineunte a Plinio scripta esse Durry cum Mommseno consentit¹². Difficilius explicari triumphum, qui anno 102 exeunte et anno 103 ineunte actus sit. Paribeni triumphum iam belli initio a Plinio praedictum esse credit¹³. Commentatores uetustiores ut Fabretti et Schwartz hanc descriptionem uaticinium post euentum esse existimant, id est, iam post triumphum additam esse, sed tamquam anno 100 dictam. Durry tamen triumphi descriptionem locum communem esse affirmat¹⁴. Itaque nihil impedit, quin triumphus iam initio belli a Plinio descriptus sit. Denique si Plinius res post annum 101 gestas in Panegyrico narrauisset, peccata in temporis ratione admissa callide addidisset, ut oratio anno 100 habita uideretur. At illa peccata inueniri non posse. Ex quo Durry nullum arguento ad Panegyrici editionem post annum 101 transferendam esse concludit¹⁵.

Loci ab illo docto uiro interpretati, etsi editionem post annum 101 manifeste non probent, tamen neque eam incredibilem esse demons-

⁷ Cf. CICERONIS *or. de imperio Cn. Pompei*, 31 sq.

⁸ Pan. 2, 7 et 88, 4. Uide DURRY, *op. laud.* 231 sq. Titulus in nummis (SPQR Optimo Principi) anno 103 apparuit. Dein anno 114 senatus consulto Traiano agnomen Optimus decretum est. Primum senatus consultum, de quo Plinius narrat, DURRY initio regni datum et semel ualuisse putat. Alterum nummis inscriptum post uictoriā Dacicā a. 102 datum esse, neque illa duo consulta coniungenda esse in unum post uictoriā Dacicā datum, cum in tabulis alimentariis Ligurum Baebianorum (*CIL IX* 1455) iam anno 101 Traianus Optimus appelletur.

⁹ 51, 5.

¹⁰ STRACK, *op. laud.* I nr. 391 et p. 145 sq.

¹¹ CIL VI 355: "tribunit. pot. VII, imp. IIII, cos. V"; cf. STRACK, *op. laud.*, 18 sq.

¹² Bellum Dacicū primum a. d. VIII Kal. Apriles a. 101 ortum est (u. Acta Arualia, CIL VI 2074, 1.23).

¹³ Optimus Princeps (Messanae, 1926) I 221: "una vaga espressione del desiderio di una guerra contra i Daci..."

¹⁴ Cf. HORATI *Epist.* II, 1, 25 sq.; *carm.* IV, 14, 4 sq.; TIBULLI lib. II, 5, 115-120; PROPERTI lib. II, 1, 33-34; OUIDI *ex Ponto*, II, 1, 39-40.

¹⁵ A. d'ORS in bilingui Panegyrici editione (Clásicos Políticos, Madriti, 1955), p. XVII sq. idem, sed cautius sentit.

trant. Argumenta quibus negatur paria sunt argumentis quibus a. 103 Panegyricus editus uidetur. Plerique tamen auctoritatem Mommseni sequentes Panegyricum anno 101 editum esse credunt. Quae auctortas, ut recte quidam dixit, etiam ab aduersariis Mommseni saepe inscienter sentitur.

Notum est Panegyricum amplitudine tribus epistularum libris parem esse. Ratione, quam Plinius in libris edendis seruauerat, perspecta¹⁶ et multis uel plurimis additamentis, quae in oratione in senatu habita nondum erant, sed postea inserta sunt, inuentis¹⁷, ueri simile non est Panegyricum anno 101 perfectum esse. Id eo minus credibile est, quod eodem anno fortasse magna in Marium Priscum oratio publici iuris facta erat¹⁸. Sin autem Panegyricum anno 103 ineunte publicatum esse demonstramus, multa facilius explicari possunt.

Sententia mommseniana accepta Plinius a. 102 et 103 quamquam otiosus nullam epistolam scripsit¹⁹, antea occupatus plurimas. At uix credibile esta Plinium illis annis nihil scripsisse. Illud bienne spatium non manet, si Panegyricum anno 103 editum esse demonstramus, Tunc constat paucas epistulas a. 101-103 a Plinio exaratas esse, cum in Panegyrico et prima epistularum triade edenda occupatus esset. Tum et interpretatio locorum, quos Durry memorauit, facilior est.

Ita in loco de circi amplificatione Durry recte Plinium multis futuris usam esse ostendit, attamen amplificatio ipsa perfecto "adiecit" expressa est atque iam perfecta esse uidetur. Illa futura tantum ad opera anno 103 perfecta in oratione, quae anno 100 habita fingitur, dissimulanda adhibita sunt. Triumphus quoque uaticinatio post euenum esse uidetur. Illam descriptionem locum communem esse et triumphum iam initio belli Dacici a Plinio praeuisum esse facile multi affirmant, attamen mihi Plinius iam anno 101 ita scripsisse non uidetur: "Accipiet ergo aliquando Capitolium non mimicos currus, nec falsae simulacula uictoriae, sed imperatorem ueram ac solidam gloriam reportantem, tranquillitatem et tam confessa hostium obsequia ut uincendus nemo fuerit. Pulchrius hoc omnibus triumphis" (16, 3-4). Si initio belli haec scripta essent, uaticinatio nimis audax fuisse. Num uictoria certa erat? C. Patsch primum belli annum Romanis infaustum fuisse demonstrat²⁰. Uictoria incerta facile locus ille ex laudatione offensa grauissima fieri potuit. Mimici enim currus et falsae simulacula uictoriae sine dubio Domitiani triumphos significant. Si tamen Traianus uictus simili modo uictorem simulare uoluisset, Plinii uaticinatio

¹⁶ Cf. ep. VII 17, 7.

¹⁷ De plurimis Panegyrici additamentis u. DURRY, *op. laud.*, 7 sq. Si Plinius Panegyricum tres dies recitauit (ep. III 18), pars maior sine dubio post Kal. Sept. a. 100 addita est; nam Plinius Traiani patientia in senatu ita abuti non potuit, ut gratiarum actio cruciatu fieret. Plinius quidem in senatu, cui imperator praesidebat, eodem anno horis paene quinque dixit et a Traiano admonitus est, ut uoci laterice consuleret (uel potius, ut imperatoris et senatorum miserereret); cf. ep. II, 11, 14-15. Sed in illa actione Traianus, quamquam praeses, dormitare potuit, cum interea in gratiarum actione attente audire urbanitate coactus est. Atqui nemo potest per aliquot horas attente etiam laudationes audire, gratiarum igitur actio satis brevis fuit. (Cf. ALLAIN, *loc. laud.*).

¹⁸ Ep. II 19.

¹⁹ MOMMSEN enim librum tertium anno 101, quartum autem a. 104/5 editum esse censuit.

²⁰ Der Kampf um den Donauraum unter Domitian und Trajan, p. 64 sq. (Uindobonae et Lipsiae, 1937).

acerrima ironia exstitisset. Plinius prouidus semper ac cautus tam audacter futura pronuntiare non potuit. Quare ille locus post triumphum anno 102 exeunte aut a. 103 ineunte scriptus est.

Paribeni "uaga expressio" aut locus communis sententiae nostrae non obstant. E contrario Plinius triumphum uagis uerbis describit, ut uaticinatio non post triumphum, sed ante cum composita esse uideatur. Locus communis uaticinationem ante euentum non probat. In epistula enim VIII 17 Plinius de Tiberis inundatione narrat. Guillemin illam narrationem locum communem in litteris latinis fuisse monstrat²¹, sed quis negare potest Plinium ueram inundationem descriptisse, cum haec uerba in extrema epistula leguntur: "Ne quid simile istic pro mensura periculi, uereor teque rogo, si nihil tale, quam maturissime sollicitudini meae consulas, sed, et si tale, id quoque nunties".

Aliud quoque argumentum pro anno 103 et contra annum 101 ab omnibus uiris doctis praetermissum esse uidetur, quod Plinius Panegyricum tanto labore ad maiorem Traiani gloriam compositum potius imperatore in urbe uersante, quam in Dacia bellum gerente edidit. Quodsi anno 101 edidisset, liber ante Troiani redditum iam obliuioni traditus esset. Interca Traiano in urbem reuerso nouus liber editus tamquam uictoriae gratulatio fuit²².

Epistulae III 13 et 18 circa idem tempus ac Panegyricus (id est, annis 102/3) exaratae sunt. Sed eas iam ante Panegyricum editum datas esse credibile est. Praesertim ep. III 13 ante libri editionem scripta esse uidetur. Durry epistulas aliquo spatio in libro tertio separatas ob hanc causam putat, quod altera imitatori Asiatici generis dicensi, altera Attici missa sit²³. Mihi quidem et alia causa inesse uidetur. Cum de ratione a Plinio in libris edendis seruata in ep. VII, 17, 7 legimus haec uerba: "Ac primum, quae scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus aut tribus lego; mox aliis trado adnotanda notasque eorum, si dubito, cum uno rursus aut altero pensito; nouissime pluribus recito ac, si quid mihi credis, tunc acerrime emendo", facile perspicimus epistulam 13 ante 18 datam esse. In altera enim liber amico ad corrigendum mittitur²⁴, in altera recitatio nuntiatur. In ep. 13 de tertio in libris edendis gradu, in ep. autem 18 de quarto agitur. Ideo eas etiam aliquod temporis spatium separauit. Epistula 18 fortasse hieme a. 102/3 scripta est, nam Plinius se foedissimis tempestatibus recitauisse dicit²⁵.

JOSEPH ZARANKA

²¹ *Pline et la vie littéraire de son temps*, Parisiis, 1929, p. 120 sq.

²² Gratulatio enim in ep. *ad Traianum* XIV post bellum Dacicum secundum missa est: cf. dissertationis meae appendicem I.

²³ *Op. laud.*, 71.

²⁴ Ep. III, 18, 5: "adnota, quae putaucris corrigenda".

²⁵ Ep. III, 18, 4.